



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

2. Sederunt super cathedram Moysi Scribæ & Pharisæi. Quæcunque ergo dicunt, facite & seruate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

Confociatio autem ista est ratio dilectionis secundum quam-  
dam unionem in ordine ad Deum. Vnde sicut vnitas potior  
est quam vnio (nam ab vnitate vnio incipit, & prin-  
cipium semper in suo genere cæterorū caput est)  
ita quod homo ipse participet bonū diuinū (in qua parti-  
cipatione potissimum proximus diligitur) est po-  
tior ratio diligendi, quàm quod alius associetur sibi in hac  
participatione. Hæc explicatio non tollit mutuum  
complexum in hoc præcepto positum, sed in hoc  
complexu quis ordo sit tenendus, præterea do-  
cet: vt frustra propter vnum aliud conuellere  
Calvinus conetur.

## IN MATTHÆI CAP. 23.

2. Sederunt super cathedram Moysi Scribæ &  
Pharisæi. Quæcunque ergo dicunt, facite  
& seruate.

**T**ORSIT hic locus Calvinum, omnes-  
que hæreticos torquet, qui *cathedram con-*  
*tra cathedram, & altare contra altare erigunt, vt*  
veteres piè & grauitè loquuntur. Docet quippe  
disertissimè Christus audiendos esse qui cathedrâ  
tenent, id est, qui potestatem docendi legitimam  
habent, vtcunque aliter ipsi viuunt quàm docet:  
quod illis quidem summū dedecus ac vituperium  
est; ouibus autem & subditis nullum impedimen-  
tum esse debet, quo minus rectæ & sanæ eorum  
doctrinæ acquiescant. Versat itaque se hic in om-  
nem partem Calvinus. Nec apertam veritatem  
distingui potuit, nec à loci tamen corruptela ab-  
stinere voluit. *Sedet (inquit) in cathedra Moysi, qui*

Episcopa-  
lis & pa-  
storalis  
authoritas  
defendi-  
tur.

non ex seipso vel proprio sensu, sed ex Dei auctoritate & verbo præcipit. Rectè hoc quidem. Sed quia quilibet magister mendax, qui non nisi ex seipso loquitur, venditare id sibi potest, & solet, quod ex Dei auctoritate & verbo præcipiat, ægrè quidem adiecit, sed necessariò adhuc adijciendum vidit, de legitima docentis vocatione, quæ propriè ad cathedram Moïsis vel Christi pertinet. Addit igitur. *Simul tamen legitima vocatio hic notatur: quia ideo audiri Scribas iubet Christus, quòd publici essent Ecclesiæ doctores.* Rectè illimè. Cur igitur, Calvine, publicos Ecclesiæ doctores despexisti? Cur absq; legitima vocatione eiecto prius Episcopo qui Cathedram illic tenebat, Genevæ post Farelum, qui primus erat, docendi munus tibi arrogasti? Cur denique eorù communionem deseruisti,

August. Epist. 163. *quos per orbem terrarum successionis ordinem custodientes, sedere in sedibus Episcopalibus vel vidisti vel audisti, & Donatistarù impietate hac in parte imitari voluisti? Pupugit hic scrupus Calvinum, & sibi ipsi malè conscius, tantum facinus à sese amoliri studiosè contendit. Subiungit igitur. Papis suis satis est titulo præditos esse, ac locum occupare, qui leges imponunt. Huc enim torquent verba Christi, quasi necesse sit obedienter recipere quicquid mandant ordinarij Ecclesiæ Præsides. Ecce agnoscit Catholicos eorum locum occupare qui leges imponunt, & esse ordinarios Ecclesiæ Præsides: non tamen recipiendum esse quicquid mandant. Nonne igitur & Christo & sibi ipsi contradicit? Christo, qui de huiusmodi dixit, *Quæcumque dicunt, servate & facite:* sibi ipsi, qui dixit, *Audiri iubet Scribas Christus, quòd publici essent Ecclesiæ doctores?* Aut ergo malè iubet hoc Christus, aut Christo contradicit Calvinus. Iubet audiri Christus. Nō est necesse audire, ait Calvinus. *Obedienter quippe**

Calvinus  
& Christo  
& sibi  
contra-  
dicit.

recis

recipere quod mandant, audire est in sensu Christi; videlicet *seruare & facere ea quae dicunt*. In quas se hic angustias compegit Caluinus, qui vt schismatis sui fixiditatem quoquo modo obtegeret, eodem penè halitu pugnantia protulit!

Sed placuit illi magis posterior assertio; quam vt astruat, Christum quoque sibi contradicere bonus interpres monstrare vult. Addit enim,

*Aquis satis superque haec calumnia refellitur altero Christi edicto, vbi à fermento Phariseorum cauere iubet.* Calum-

Matth. 16.

Christi  
doctrina  
Caluino  
calumnia  
est.

niam vocat ipsam Christi doctrinam de audiendis Scribis & Phariseis super Cathedram Moſis ſedentibus. Hanc ab ipſo Christo per alterũ eius edictũ ſatis ſuperque refelli ait. Nonne bellus interpres Caluinus, qui Scripturas inter ſeſe committit; qui Christi doctrinam calumniam vocat; qui Christi hoc loco doctrinam ipſo Christi edicto refellit? Sed quomodo tandem refellit? Sequitur. *Si reiſcere authore Christo non tantum fas eſt, ſed etiam oportet, quicquid purae legis doctrinae de ſuo Scribae admittent, certe non ſine delectu & iudicio amplecti conuenit, quicquid ipſis mandare libuerit.* Hæc ille. Cæterũ quo ſenſu à fermento Phariseorum Christus cauere iuſſerit, & quòd illud Christi edictum huic eius mandato nihil repugnet, ad illa ipſa verba (ſupra cap. 16.) contra Caluinũ demonſtrauimus. Summa eſt, quando ex cathedra loquuntur qui cathedram legitimè tenent, id eſt, quando iuxta doctrinã à maioribus ſuis continua ſucceſſione acceptam docent, audiendos illos eſſe vt Christus hic mandat; quando verò non à maioribus acceptam, ſed ſuam aliquam nouam & propriam doctrinam adferunt, quaſi fermentum peſſimum reiſciendam eſſe. Atque hoc modo, quatenus ſuper cathedram ſedent, *ſeruare & facere oportet quae*

dicunt, obedienter recipere necesse est quicquid mandant: quatenus sua fermenta admiscant, cauendi sunt. Hoc hæreticorū schisma nihil iuuat. Hoc legitimæ Præpositorum Ecclesiæ auctoritati nihil derogat.

Pergit tamen Calvinus ut Ecclesiæ magistris obtemperandum non esse doceat. Deinde (inquit) si hominum præceptis suorum conscientias hic Christus obstringeret, falsò alibi pronuntiaret frustra Deum coli hominum mandatis. Ecce rursus probare vult non esse audiendos Ecclesiæ doctores, quos Christum audiiri iubere dixerat. Rursus & sibi & Christo contradicit. Hæc hæreticorum nefaria impietas est, apertissimâ Scripturæ verba, ex alijs eius verbis iniquissimè detortis, peruertere & corrumpere. Quo sensu Christus dixerit, *Frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominū*, supra cap. 15. prolixè explicuimus, & illa verba huic Christi mandato nihil aduersari, contra Calvinum demonstraui-mus. Concludit Calvinus. *Hinc apparet Christum eas tenus populum hortari ut Scribis pareat, quantisper in pura & simplici legis interpretatione manent.* Christus non hortatur tantum sed & iubet populum (*Seruate & facite*) Scribis parere, non quidem quatenus legis interpretationem puram tradunt, de qua populus iudicare non potest pura ne & simplex an impura & adultera sit; sed quatenus *in cathedra Moysis sedent*, id est, quatenus traditam sibi & acceptam à maioribus doctrinam administrant: de quo populus iudicare, & noua ne an vetus doctrina sic quam adferunt discernere, facile potest populus iam orthodoxus ac fidelis: qualem hic Christus alloquebatur.

Sed pulchrum est quòd ex Sancto Augustino quædam profert Calvinus, quasi stimulo veritatis

tis

ris adactus, quæ & hunc locum appositè elucidant, & luctam hanc & recalcitrationem Caluini inanem atque impiam fuisse demonstrant. Scitè enim Augustinus (ait Calvinus) & appositè ad Christi mentem Scribas super cathedram Moysis sedendo legem Dei docuisse exponit, ideòque oues debuisse vocem pastoris per ipsos audire tanquam per mercenarios. Quibus verbis continuò post subiicit, Deus ergo per illos docet. Sua verò si docere velint, nolite audire, nolite facere. Tract. in Ioan. 46. Cui sententiæ respondet quod idem tradit lib. 4. de doctrina Christiana. Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, ideo vtiliter audiuntur qui etiam vtiliter non agunt. Cathedra ergo non Scribarum, sed Moysis, cogebat eos bona docere etiam non bona facientes. Sua enim agebant in vita sua; docere autem sua, cathedra eos non sinebat aliter. Hic præter solitum circa Scripturæ Evangelicæ sensum Augustinum proferre Calvinus voluit; sed contra caput suum tantum Doctorem protulit. Vterque locus de fermento doctrinæ malæ vitæ in doctore veritatis, non de fermento doctrinæ propriæ in falso magistro loquitur; & quidem, vt fatetur Calvinus, appositè ad mentem Christi hoc loco. Neque enim hic Christus aliud docet, quam doctores veritatis secundum veritatem non ambulantes, in eo quod docent audiendos, in eo quod malè ambulant non sequendos esse. Quæ doctrina contra aliam Caluini & Caluinistarum hæresim plurimum valet, qua propter peccata Pontificum & Cleri Catholici (quæ quàm possunt studiosissime exaggerant) nec Pontificibus nec Clero Catholico obediendum esse vociferantur. Sed Caluini sensum schismaticum, quòd sedentibus in cathedra obedire non sit necesse, Augustini verba nulla ex parte insinuant.

S 4 Imò

Malis  
Præpositis  
obediendum.

Augustinus à Caluino contra seipsum citatus.

De Doct.  
Christ.  
lib. 4.  
cap. 27.

Caluini  
dolus  
malus.

Cathedra  
sanæ do-  
ctrinæ.

Imò si posterioris loci verba integrè posuisset Calvinus, illum apertè refutassent. Sic enim habent integra Augustini verba, à Caluino artificiosè mutilata. *Quoniam boni fideles non quemlibet hominum sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt: ideo audiuntur vtiliter qui etiam vtiliter non agunt. Sua enim querere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus, priusquam de talibus quod commemoravi diceret, præmisit, Super Cathedram Moysi sederunt. Illa ergo Cathedra non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua. Cathedra non permittebat aliena. Hæc Augustinus, ex cuius verbis callide refectit Calvinus: *Sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Hæc quippe verba ipsam causam attingunt, cur qui cathedram Christi tenent, sua docere non audent, ideoque necessariò ab omnibus audiendi sunt. Nèpe quia de loco loquitur Sedis ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Non quia qui illum locum tenet, docere falsa non possit; sed quia qui falsa docet, illum locum tenere nequeat. Illum enim locum sana doctrina constituit: quam qui non docet, ab illo loco depellitur, vt Nestorius, Eunomius, Eudoxius, alijq; plurimi Ecclesiasticæ sedis loca tenentes à suis locis depulsi sunt, quia sanam doctrinam deseruerunt. Cathedram Ecclesiasticam, ait Augustinus, sana doctrina constituit: id est, cura & providentia Dei de Ecclesia sua factum semper est, fit, & fiet, vt quum contra eius Ecclesiam portæ inferi præualere nequeant, & sine legitimè vocatis pastoribus portæ inferi præualerent, legitimè succedentes Pastores**

stores nunquam desint. Vnde alibi S. Augustinus. Epi. 166.  
*Celestis magister de malis Praepositis securam suam plebem  
 fecit, ne propter illos doctrina salutaris Cathedra deserere-  
 tur: in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque  
 enim sua sunt que dicunt, sed Dei, qui in Cathedra unitatis  
 posuit doctrinam veritatis.* Hæc ille. Vide eundem  
 in libro de Pastoribus cap. 10. & contra Petilia-  
 num libro 2. cap. 61.

11. *Qui maior est vestrum, minister vester erit.*

**Q**VVM doceat hic locus, eumque semper  
 Ecclesia sic intellexerit Catholica, sum-  
 mam in Ecclesia dignitatem non impe-  
 rium esse tyrannicum aut profanum, ubi stat pro-  
 ratione voluntas, sed ministerium ad vtilitatem  
 populi Dei, idemque summus in Ecclesia Dei  
 minister aptissimo titulo à multis iam seculis  
 professus fuerit, vocans se *seruum seruorum Dei*,  
 profanus Calvinus, cui omnia Catholice Ecclesie  
 displicent, hunc ipsum titulum, hoc maxime  
 Christi verbo fundatum, ore rabido atrodit. *Quid*  
 (inquit) *prodest quòd Papa tyrannicis legibus oppressurus*  
*miseras animas, se seruum seruorum Dei prafatur, nisi vt*  
*palàm insultet Deo, & hominibus probrose illudat?* Hæc  
 ille. Quid verò prodest quòd superbus & male-  
 sanus hæreticus Calvinus, tam innumeris Scri-  
 pturæ Evangelicæ corruptelis oppressurus mise-  
 ras animas, se ministrum verbi venditat, & supremo  
 in Ecclesia Christi Sacerdoti impuro ore maledi-  
 cit, nisi vt palàm insultet Christo, qui Petro dixit,  
*Pasco oves meas, & in vna Petri Cathedra vnã Eccle-*  
*siam suam monstrauit, & omnibus hæctenus Chri-*  
*stianis probrose & impiè illudat, qui à tot iam*  
*seculis huius Sedis Apostolicæ primatum cõstan-*

Calu-  
 nia Cal-  
 uini pro-  
 brosa.

Ioan. 21.  
 Cyprian.  
 in lib. de  
 unitate  
 Eccl. 1.